



Hilff zu dem

INDEX DISPUTATIONUM

XII Disput. vide p. 4
sub Praesidio L. Frid. Bal
duini.

13 De verbis testamenti Iesu
Christi filii Dei, hoc est
corpus meum, hoc est sanguis
meus Pr. Balduini.

14 De Praedestinatione
Pr. D. Jos. Gerhardi

15 Oratio de Friderico Myco
nio Theologo constantiensi et
primo Thuringorum Evangelista
Lib. D. Ant. Brub.

16 De Dei et Christi Oratio
pro Mediatoris nostri, apud
Creaturas gubernandas
universales et speciali pro
sentia. D. Bal. Mentzneri
D. Iust. Feurbornii etc.

17 Abstergio Calumniarum
Jos. Cocceii. Pr. Balb.
Mentzneri.

18 De Baptismo conclusionibus
comptehensivus. Pr. D.
Petri Biscautoris.

19 De persona Iesu Christi ser
vatoris nostri Pr. D. Ambro.
Reudenio

20 De Baptismo initiationis
sacramento Pr. D. Georgii
Mylly.

21 De visitatione eccle
siastica Pr. D. Georgii
Mylly.

22 Carolestadius redivivus
contra Calvinianos Pr. D.
Georgii Mylly.

23 De verbo Dei scripto
et traditionibus non
scriptis. In Disputationibus
X distributa. sub Praes.
D. Leonhardi Hutteni.

Indice decem Disputationum
vide p. 2. in Disp. 1.

34 Threnologia de obitu
Principis Friderici Wilhelmi
Sutro D. Georgio Mylly.

35 Panegyris Actus Doctores
iurisperitum etc Jos.
Stigeli de inauget
ratione Acad. Salanae.

36 Modus inveniendi Concordiae
in contrav. De electione ad
vitam a Sen. Hubero D.
2 In Morte Principis Saxoniae

37 Ad Tragediam Virgilianam
de Aenea et Lavinia

38 166 Selectiones Epistolae D.
Ph. Melancthonis ad D. Frid.
Myconium conscriptae et


39 De viro sancto Martino
Lutbero.

40 Votum nuptiale



Baldwin: Disp. omnes in
universos Beticos locos
collectae ab ejus auditore

Francisco Schuppert
W. Pm.



16. 15 38
IN MORTE

ILLVSTRISSIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI, D. IOHAN-
NIS ERNESTI DVCIS SAXONIÆ,
Landgrauj Thuringiæ, Marchionis Mis-
senæ Epicedion scriptum

à
IOHANNELANGERO
Cobergense.

✠
AD AVTHOREM
Epigramma.

*Gratior est memorans Heroum Musa triumphos,
Quàm quæ lugubri carmine fata refert.
Tu quoq; percuperes uiui describere laudes,
Quàm modò defuncti funera mœsta queri.
Sed quia nunc patriæ rapuit mors seua Parentem,
Post obitum uirtus concelebranda fuit.
Ergò tuum quisnam studium neget esse probandum,
Quòd merita ERNESTI nomina laude uehisq;
Quin etiam Musas optet tibi quisq; benignas,
Qui leget hæc, hilares ut meditèrc modos,
Vtq; canas posthac magnorum facta uirorum,
Et patriæ celebres nomina clara tuæ.*

M. NICO. SCHELLERVS.
Cobergensis.

VVITEBERGAE
EXCVSVM IN OFFICINA
Hæredum Georgij
Rhauu.
M. D. LIII.

CLARISSIMIS AC SAPIEN-
TISSIMIS VIRIS, CONSULI TOTI-
QUE SENATU VICIVITATIS COBERGÆ,
Dominis suis colendissimis Iohannes
Langerus Cobergensis
S. D.

ANte mihi chara penitus genitricis imago
Excidat, & fratrum pectore cedat amor.
Quodq; meam tanta ducit dulcedine mentem,
Ante uelim patrij non meminisse soli,
Vlla tuæ quàm nos capiant obliuia dextræ,
Qua studijs præbes munera larga pijs.
O mihi dum uiuam merita celebrande Senatus
Laude, nec in uersu non memorande meo,
Misti nostris qui largiter æra camænis,
Dum quater ipse suum Phœbus oberrat iter.
Huc ubi Pieridum studijs addicta iuuentus
Incolit Albiacæ docta Lycæa Scholæ.
In patriæ quondam conscribam carmina laudes,
Cum dederit Clarius robora iusta Deus.
Accipe nunc uultu carmen funebre benigno,
Quod canimus nostro post sua fata Duci.
Inuida cum patriæ rapuissent fata Parentem,
Flebilibus cepi nectere uerba modis,
Que uulgata tuo quoniam sub nomine cernis,
Quæso uclis studij pignus habere mei.
Deniq; Castalidum tibi commendata sororum
Cura sit, & studijs perge fauere meis.
Sic tua felici succedant sydere cepta,
Consilijs adsit sic DEVS ipse tuis.

INDICATIO ANNI NATIVI-
tatis & obitus.

Est eadem ERNESTO fatalis terra Koburgi
Que nato vitæ MVnera parua Dabat.
VV. V. H.

EPICEDIVM.



I qua prius querulæ cecinistis tristia Musæ
Funera, quæ iusti causa doloris erant:
Aspirate meis iterum, uos inuoco, ceptis,
Scribere me Phœbus triste Poëma iubet.

Ante diem nobis miserando funere postquam

Eripuit Patriæ mors violenta Patrem.

En iacet ERNESTVS fatis extinctus iniquis

Saxonicæ Princeps gloria magna domus.

Si tamen is, cuius viuacem gloria famam

Efficit, oppressus morte iacere potest.

Atra dies nobis heu funere meruit acerbo

Eximij subito membra caduca Ducis.

Ah nimium fatis querimus licuisse cruentis,

Ac tantum tetricas ius habuisse Deas.

Dicite, cur placidum Parcarum nomen habetis,

Cum soleat nulli parcere uestra manus?

Desinet ergo dies, & in alto Hyperionis ante

Filius occiduos æquore tinget equos,

Funera lugubri quàm consequar omnia versu,

Flebilibus nectens tristia verba modis.

Fortia pallenti iuuenum quot mittitis orco

Corpora, quæ decuit longius esse super?

Sic neq; uos capiunt generosæ munera formæ,

Nec decus ætatis pectora uestra mouet.

Abripitis iuuenes prima florente iuuenta,

Cogitis & tardos fata subire senes.

Sed toleranda foret dubij vis aspera fati,

Si modo Principibus parceret ista uiris.

Cura gerendarum stimulat quos ardua rerum

Inq; humeris quorum grande recumbit onus.

Ferreus ô qui non in eorum corpora luget

Lanificas tantum iuris habere Deas.

A ij

Sic



Sic igitur sævæ peracuta falce sorores
Rupistis nostro fortia fila DVCI?
Tantane mortales uobis rapuisse voluptas,
Summa quibus Christum noscere cura fuit?
Indomitos cur tot finitis superesse Tyrannos?
Cur alios, quorum nomina quisq; timet?
Hos auferte procul, rigidæ demittite morti,
Hæc decuit Stygiæ monstra dedisse neci.
Vita quibus sine labe manet, curabitis illos
Secula grandæuos longa uidere senes.
Forte Panomphæo posthac metuenda tonanti
Horrendum dictu, stamina uestra reor.
Esse truces tandem Stygiæ cessate sorores,
Multa fati miseræ sunt data membra neci.
Has ego sollicito fundens ex pectore voces,
Tristia dum querulo carmine fata queror,
Ecce meas Clotho reprobans grandæua querelas
Protinus arguta talia uoce refert:
Stulte quid assiduis incessis fata querelis?
Quando fines mœstis fletibus esse modum?
Non semel hæc nostras obiectio perculit aures,
Nos auidas nimium semper habere manus,
Cum tamen in manibus summi sint cuncta tonantis,
Arbitrio cuius vita stat atq; cadit.
Corpora communi quod sunt obnoxia morti,
Aspera nec quisquam tollere fata potest,
Non erit hæc miseris tribuenda potentia Parcís,
Quas nimium sæuas creditis esse Deas.
Sola docet mortis veras Ecclesia causas,
Debita quæ lapsum pœna secuta fuit.
Scilicet hanc meruit primorum culpa parentum
Iussa creatoris post violata DEI.
Inde tot aduersis iactantur casibus omnes,
Hic perit in pugna, concidit ille fame.

Ille

Ille caput medijs miserum submergit in vndis,
Alterius uitam perdere flamma solet.
O vtinam primi fecissent iussa parentes,
Quæ dedit ex alta conditor arce DEVS.
Non ita morborum traheretis corpore labem,
Tristia nec mortis iura timenda forent.
Corpora nunc geritis varijs obnoxia morbis,
Quæ prius horrendæ nescia mortis erant.
Sed tamen à summo vobis est missus Olympo
Filius æterno de genitore fatus,
Qui propria humanam repararet morte salutem,
Quo redijt uerum restituente decus.
Erigat hæc vestras nisi consolatio mentes,
Quid nisi cum brutis uita caduca foret?
Vita fugax nullum vobis reditura per æuum
Heu quàm sollicito plena dolore foret?
Nunc igitur quoties properato funere mersos
Cernitis, hinc lachrimas quis neget esse pias?
Scilicet amissos meritò lugetis honores,
Extinctum turpi labe priusq; decus.
Debita sed longo defleri fata dolore
Displicet æterno, qui mouet ista, DEO.
Hic manifesta sui vobis dat signa fauoris,
Sedq; cupit placidum significare Patrem,
Ex fragili quoties meliorem corpore partem
Euocat ad lucis gaudia uera nouæ.
Plura locuturae mox astitit vna Sororum
Cepta iubens posita ducere fila colo.
Illa fugit tenera cedente volatibus aura
Ad solitas tandem iussa redire domos.
Interea tristes voluebam pectore curas
Quas tenui Parcís carmine questus eram,
Cum subito volucres cœlo delapsa per auras
Mœsta refert tales ore Thalia sonos.

A iij

Visa

Visa diu felix optato Patre COBERGA
Nunc tepidis meritò fletibus ora rigas,
Immiti lugens hac tempestate iacentem
Morte Ducem, quo non charior ullus erat,
Ah rigidus tantum qui sicco lumine damnum
Aspicit, ac trucibus sauior iste feris.
Ergò Ducis tanti donis spoliata, sepulti
Manibus inferias mœsta COBERGA dabis.
Nam cur non doleas, cur non manifesta doloris
Tu quoq; præ reliquis ponere signa velis?
Cum videas pullis incedere vestibus omnes,
Dux quibus hic toto pectore charus erat.
Cuius ob interitum nitidus lugebat Apollo
Abijciens blandæ plectra canora lyræ.
Tristia conuexum velabant nubila cœlum
Non erat auratum Solis in orbe iubar.
Nos quoq; sollicitæ nostrum solamen iniqua
Vidimus ante suum fata subire diem,
Vidimus & Charites lachrymis stillantibus ora
Spargere, nec cultis amplius ire comis.
Iusta etenim nostri cur non sit causa doloris,
Cum tulerit talem mors truculenta Ducem,
Maxima cui doctas studijs florentibus artes,
Atq; fuit sacras cura fouere Deas.
Futile quas nostro contemnit tempore vulgus,
Extinctasq; omnes funditus esse cupit?
Hoc meritò noster laudatur nomine Princeps,
Quòd fuerit doctis æquior ille uiris.
Hactenus ergò DEVS nostris clementer ab oris
Depulit in rapidos tristia bella Notos.
Dum perculsa graui fortissima quæq; tumultu
Oppida supremum sustinuere diem.
Cur ita? magnanimus generosi pectoris Heros
Contulit ad Musas æra dicata bonas.

Quis

Quis mihi Latoïdes ualidas in carmine vires
Suggeret, ad laudes Dux generose tuas?
Quis mea Pegaseo perfundet labra liquore?
Quis dabit optato spiritus ore loqui?
Vt tua facundo tollam præconia versu,
Tæq; canam, sicut dignus es ipse cani.
Vt quoq; quàm nostri grauis in te pectoris ardor
Ferueat, Aonia voce referre queam.
Non mihi Castalidum si turba nouena sororum
Adsit, & Actiacus tinxerit ora Deus,
In tua sufficiant nostri præconia versus,
Protinus vt tanto Principe digna canant,
Quem Patris & Patruï semper spes maxima sanctos
Fata sinant, mores posse referre fuit.
Saluificum tanta nouem pietate colebas,
Atq; bonis Princeps artibus æquus eras,
Insuper & sanctas ornabas legibus vrbes,
Iura tuis semper ciuibus æqua dabas.
O vtinam canæ licuisset longa senectæ
Tempora, Nestoreos & numerare dies.
Forsitan è medijs voluit te fluctibus orbis
Prouidus & clemens eripuisse DEVS.
Ad pia propitium quem vota rogamus, vt urbem
Clementer nostram post tua fata regat.
Marte procul pulso, turbantibus omnia bellis
Nostra velit placida mœnia pace frui.
Nunc vbi cælesti Superiorum sede receptus
Dulcia cum sanctis ocia lætus agis,
Desino lugubres toties iterare querelas,
Atq; meis aliquem fletibus addo modum.
Namq; tuus rursus post tristia funera Frater
Defensor patriæ IANFRIDERICVS erit.
Mœonio cuius celebrabunt carmine laudes
Ora diserta quibus Phocidos vnda rigat.

Sicut

Sicut enim croceum linquens aurora cubile
 Cætera purpurea sydera luce fugat,
 Ipsiùs exuperat reliquos sic fama per orbem,
 Splendida qui meritæ nomina laudis habent.
 Maximus hæc nostri nunc in te pectoris ardor,
 Sincerusq; tibi scribere iussit amor,
 Si modò non tenues renuis post funera versus,
 Quos damus in mortem Dux generose tuam.
 Quod superest, paucis gelidum signare sepulchrum
 Carminibus tandem mœsta Thalia iubet.
 Patria sacrificas posuit quem dulcis ad aras,
 Iste pîj tumulus contegit ossa Ducis.
 Nulla decus cuius poterit delere vetustas,
 Famaq; damnosæ nescia mortis erit.
 Christe refert meritas tibi nunc mea pauia grates
 Defuncti Fratrem rursus adepta Ducis.

EPITAPHIUM EIVSDEM

AUTHORE M. NICOLAO

Schellero Cobergen:

SACRIFICAM Princeps cubat hic ERNESTVS ad aram,
 Vnica Saxonici fama decusq; soli.
 Quem deflet querulo sublatum Francia luctu
 Atq; Patris patriæ fata COBERGA dolet.
 Quem pax, quem Musæ, pietas legesq; queruntur,
 Viuere Nestorcos non potuisse dies.
 Quo duce uix alius studio maiore fouebat
 Quos iuuat Aonidum castra diserta sequi.
 Iusticiæ custos & religionis amator,
 Semper & in causis omnibus æquus erat.
 Sorte sua placidam uitam contentus agebat,
 Nec causam belli disidiq; dabat.
 Ergò Ducem talem Deus in sua regna recepit,
 Ne præter meritum crimina nostra luat.
 Cœlica sanctorum nunc ad consortia patrum
 Conspectu fruitur colloquioq; Dei.

ΤΕΛΟΣ.





16. 15 38

IN MORTE

ILLVSTRISSIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI, D. IOHAN-
NIS ERNESTI DVCISSA XONIÆ,
Landgrauj Thuringiæ, Marchionis Mis-
senæ Epicedion scriptum

à
IOHANNELANGERO
Cobergense.

AD AVTHOREM
Epigramma.

Gratior est memorans Heroum Musa triumphos,
Quàm quæ lugubri carmine fata refert.
Tu quoq; percupres uiui describere laudes,
Quàm modò defuncti funera mœsta queri.
Sed quia nunc patriæ rapuit mors seua Parentem,
Post obitum uirtus concelebranda fuit.
Ergò tuum quisnam studium neget esse probandum,
Quòd merita ERNESTI nomina laude uehis?
Quin etiam Musas optet tibi quisq; benignas,
Qui leget hæc, hilares ut meditèrc modos,
Vtq; canas posthac magnorum facta uirorum,
Et patriæ celebres nomina clara tue.

M. NICO. SCHELLERVS.
Cobergensis.

VVITEBERGAE
EXCVSVM IN OFFICINA
Hæredum Georgij
Rhauu.
M. D. LIII.